



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Decretum de symbolo fidei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

a Conc.  
Tolet. II.  
ca. 1.  
Concil.  
Constan.  
Sess. . in  
princ. c.  
in loco  
S. q. 4.  
Vide &  
4. Tolet.  
c. 3.

b Idē in  
conclu-  
sione re-  
peritur.  
Episcopis  
forma  
prescri-  
pta est  
Bracc.  
ca. 24.

Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

In sententijs verò dicendis iuxta a Toleta-  
ni Concilij statutū, in loco benedictionis confi-  
dentibus Domini sacerdotibus, nullus debeat  
aut immodestis vocib. perstrepere, aut tumul-  
tibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve,  
aut obstinatis disceptationibus cōtendere: sed  
quidquid dicatur, sic mitissima verborū pro-  
lutione temperetur, vt nec audientes offen-  
dantur, nec recti iudicij acies perturbato ani-  
mo inflectatur.

Insuper ipsa sacra Synodus statuit, ac de-  
creuit, quod, si fortè contigerit aliquos debito  
in loco b non sedere, & sententiā, etiam sub  
verbo, Placet, proferre, congregationibus in-  
teresse, & alios quoscunq; actus facere, Cōcilio  
durante, nulli propterea praeiudicium genere-  
tur, nulliq; nouum ius acquiratur.

Deinde indicta fuit futura Sessio ad  
diem Iouis, quartam mens. Febr.  
proximè venturi.

SESSIO TERTIA,  
CELEBRATA DIE IV MEN-  
SIS FEBRUARII.  
M. D. XLVI.

Decretum de symbolo Fidei.

**I**N nomine sanctæ, & indiuiduæ Tri-  
nitatis, Patris, & Filij, & Spiritus san-  
cti.

Hæc

Hæc Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridētina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea presidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, magnitudinem rerū tractandarum considerans, presertim earum, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis, continentur, quorū causa præcipue est congregata; agnoscens autem cum a Apostolo, nō esse sibi colluctationem aduersus carnē & sanguinem, sed aduersus spirituales nequitiās in cœlestibus, cum eodem omnes, & singulos imprimis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potētia virtutis eius, in omnib. sumētes b scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extingueri, atque galeā spei salutis accipiant, cū gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque, ut hæc pia eius sollicitudo principium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit, & decreuit præmittendam esse confessionem fidei. c Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus Concilijs hoc scutum cōtra omnes hæreses in principio suarum actionū apponere consueuerunt: quo solo aliquādo & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles cōfirmarūt. Quare Symbolū fidei, quo sancta Romana ecclesia utitur, tanquā principium illud, in quo omnes quidem Christū profitentur, necessariō conueniunt, ac fundamentū firmum & vnicum, cōtra quod d̄ porte Inferi

a Ephe. 6.

b c qui resisti. 21.

q. 3.

c Cōc. Nicæn.

Cōc. Rō.

sub Iul. 1.

Cōc. Hippon. in

prin. Cōc.

Const. 6.

actio. 17.

cum sim.

c. 1. diff.

15. e bap-

tizādos

cum se 79.

de conf.

diff. 4. c.

1. de sum.

trin.

d Mat. 16.

c in no-

uo. 21.

diff. c sal-

uator. 1.

nunquam praeualebunt, totidem verbis, quib. in omnibus ecclesijs legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem eiusmodi est.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem caeli & terrae, visibiliū omniū, & inuisibilem; & in unum Dominum Iesū Christum, filium Dei unigenitum, & ex patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumē de lumine, Deum verum de Deo vero; genitū non factum consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die, secundū Scripturas; & ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos cuius regni non erit finis; & in Spiritū sanctum Dominū, & vivificantem; qui ex patre filioq; procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiā: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, Amen.

Indicium futurae Sessionis.

Eadem Sacrosancta & oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto le-

giti-

gitimè cōgregata, in ea præsidentib. eisdē tribus Apostolicæ Sedis legatis, intelligēs multos Prælatos ex diversis partib. accinctos esse itineri, nōnullos etiam in via esse, quo huc veniant; cogitansq; omnia ab ipsa sacra Synodo discernenda, eò maioris apud omnes existimationis, et honoris videri posse, quo maiori fuerint, & pleniori Patrū consilio, & presentia sancta, & corroborata, statuit, & decrevit futurā Sessionem post presentem celebrandā esse die Iouis, quæ subsequetur Dominicā Letare, proximè futuram: interim tamen nō differri discussionem, & examinationē eorū quæ ipsi Synodo discutienda, & examinanda videbūtur.

SESSIO QVARTA,  
CELEBRATA DIE VIII. MENSIS  
APRILIS,  
M. D. XLVI.

Decretum de Canonicis scripturis.

Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridēntina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelij in Ecclesia conseruetur: quod promissū antep per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, proprio ore primū promulgavit, deinde per

suos